



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Caput V. Vtramque sententiam veteres Thomistæ quamplurimi,
Recentiores verò ferè omnes, incredibili consensu propugnant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

statuere, ex duabus opinionibus probabilibus, quarum altera affirmat, altera negat aliquid esse peccatum, licere minus tutam amplecti.

Posteriorem sententiam, quæ & istam complectitur, non obiter & strictim, sed explicatam pluribus & diligenter examinatam defendunt Doctores Sorbonici planè omnes, qui hæc de Theologicis rebus scripserunt. Philippus Gamacheus clarissimum Sorbonæ lumen, in 1. 2. quæstione 19. cap. 2. pag. 153. ita loquitur: Prima assertio est: Non tenemur in foro conscientie sequi probabiliorē partem, sed satis est si absolute sequamur probabilem, quæ peritis & doctis placeat, donec Ecclesia contrarium statuerit, aut prima illa opinio è Scholis Theologorum omnino expulsa fuerit. Quam in rem citat Navarum & Medinam. Tum alteram conclusionem ponit in hæc verba: Secunda propositio: Sacerdos si proprius, siue delegatus, potest contra suam ipsius opinionem absolvere penitentes, quos videt esse in opposita sententia, licet minus certa ac tuta, dummodo ea sit probabilis, habeatque aliquos auctores Catholicos ac peritos. Pro quâ conclusionem allegat Navarum & Dominicum Soto.

Andreas Duvalius vir singulari pietate & doctrina, tractatu de humanis actibus, quæst. 4. art. 12. pag. 115. hæc habet: Secunda conclusio: Non tenemur in foro conscientie sequi probabiliorē partem, sed satis est si absolute sequamur probabilem, quæ peritis & doctis placeat, licet quibusdam similiter doctis displiceat. Quod tamen sub hac restrictione intelligendum est, donec scilicet Ecclesia contrarium non statuerit, aut prima illa opinio è Scholis expulsa non fuerit. Quam assertionem suam, & auctoritatem, & rationem probat, tum præcipue adversariorum objectioni respondet.

Nicolaus Ysambertus, qui summa ingenii & doctrinæ laude in Sorbona floruit, hanc ipsam quæstionem uberius & accuratius tractat in 1. 2. dist. 9. a. 4. pag. 135. Si ista propositio, inquit, quando circa honestatem vel obligationem operis alicujus, sunt utrinque opiniones probabiles, quarum tamen altera est probabilior, potest voluntas in operando sequi probabilem, relicta probabiliori. Postquam autem hanc assertionem probavit auctoritate quam plurimorum, inquit, S. Thomas interpretum, quærit art. 5. circa medium: An hæc propositio tam habeat locum in homine illiterato, ac rudis, qui nescit rationes discutere, quàm in homine literato, qui id novit: id est, an tam rudis & illiteratus homo possit operari ex sententia minus probabili, relicta probabiliori, quam homo literatus. Tum quæstionem ita solvit: Respondetur affirmative, & ratio est, quod non liceat alicui operari ex sententia probabili, relicta probabiliori, quia est doctus, & novit utrinque partis rationes penetrare, & conferre ad invicem: Sed quia ad bene operandum moraliter satis est habere moralem certitudinem de honestate actus, & quod nullum exeret præceptum sequendi opinionem probabiliorē, relicta ea, quæ solum probabilis est, ut fufius supra docuimus.

Ludovic. Bail. Doctoribus Sorbonicis adjungi debet Ludovicus Bail Parisiensis, & ipse Academi-

miæ Doctor Theologus, qui etsi quæstionem hanc ex professo non tractet, manifestè tamen sententiam istam amplectitur libro de Triplici Examine part. 1. q. 13. pag. 207. tertia editionis. Quamvis, inquit, multi universaliter doceant securitatem sententiæ minus probabili præ probabiliori, limitanda tamen videtur hæc doctrina in materia præceptorum, & extra materiam sacramentorum. Et quæ. 12. pag. 192. ait: Ex communi sententia penitens non potest cogi à Confessario ad amplectendam suam opinionem probabilem, immò & probabiliorē, si ea quam sequitur sit verè probabilis.

CAPUT V.

Utramque sententiam veteres Thomistæ quamplurimi, recentiores vero fere omnes incredibili consensu propugnant.

QUI Didacum Altiarem affirmantem audiverit, posteriorem sententiam à doctissimis Thomistis doceri, Petrum verò Ledesnam asserentem, teneri eandem à multis Doctoribus, ac præcipuè à discipulis S. Thomæ, non poterit non suspicari naviter sibi Vendicium imponere, cum ait pag. 76. 77. S. Thomam huic opinioni manifestè adversari. Certè quod opponit ex quodlib. 8. art. 15. pridem à S. Antonino. part. tit. 3. c. 10. §. 10. ex S. Doctoris mente ita explicatum est, ut huic sententiæ faveat potius, quàm repugnet. Nam primò hæc S. Thomæ verba: Quando sunt due opiniones contrarie de eodem, oportet alteram esse veram, & alteram falsam: aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum, ut potest habendo plures præbendas, facit contrariam opinionem: & sic cum facit contra legem Dei, non excusatur a peccato, quamvis non faciat contra conscientiam: Sic interpretatur S. Antoninus. Hæc verba D. Thomæ non possunt intelligi, nisi de his ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra legem Dei; & non de illis intelligi, ubi non apparet, alias sibi contradiceret in eodem libro, quod non esset credendum. Secundò, quod S. Thomas subiungit in hæc verba: Sim quamdam dubitationem inducit, & sic manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat: licet à S. Antonino exponitur: Quod Beatus Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id, de quo est dubium, an sit mortale, an non; peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis, verum tantum est, sumendo propriè & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quàm ad unam quàm ad aliam. Tertiò, S. Antoninus addit, non ita se rem habere, cum non est dubium propriè dictum, sed opinio probabilis. Unde colligitur postrema Sancti Thomæ verba huic sententiæ suffragari.

Ante contrariis opinionibus, inquit, in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discriminari, nec peccat. Quia videlicet, ut animadvertit S. Antoninus, talis non operatur in dubio mortalis, sed secundum opinionem probabilem.

Nihil magis hinc opinioni adversatur alterum S. Thomæ testimonium, quod ex quodlibet. 3. art. 10. Wendrockius obicit. In his, inquit S. Doctor, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat; alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arrii & Nestorii. Et quibdam in-terpositis: Qui ergo assensit opinioni alicujus Magistri, contra manifestum Scripturæ testimoni-um, siue contra id quod publicè tenetur secun-dam Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. Nihil istud sententiæ, de qua agimus, repugnat inde liquidò con-silium, quod, ut jam inde ab initio animad-vertimus, & S. Antoninus ibidem admo-net, non est probabilis opinio, quæ est con-tra manifestum testimonium Scripturæ, vel de-terminationem Ecclesiæ. At illud præterea hinc sententiæ suffragari, præclare ostendit Stephanus Spinola d. sp. 3. sect. 4. cum ex allatis S. Thomæ verbis ita argumentatur: Ergo in his, quæ ad fidem, & bonos mores spe-dant, excusatur quis sequendo opinionem sui Doctoris, si non sit erronea, & contra mani-festum scripturæ testimonium, quod est idem ac quando est probabilis, quia exceptio firmat regu-lam non exceptis.

Sic explicatam S. Thomæ sententiā defendunt nobilissimi ejus discipuli. Nam, ut omittam Petrum Paludanum, S. Anto-ninum, D. Macum Aluarem, & Bartholo-mæum Ledesnam, quos superius inter Episcopos appellavi, diserte primam opinio-nem docet Sylvester Prieras in Summa, verbo opinio, num. 1. Postquam enim recita-vit postremum S. Thomæ testimonium, continud ita subiungit Panormitani ver-bis: Sequens opinionem alicujus Doctoris non sub-tiliter investigatam, quæ postmodum apparet fal-sa, excusatur à peccato quamdiu non apparuerit falsa. Tunc utramque sententiā ita concilia-t: S. Thomas dicit quod tales non excusantur in his, quæ sunt manifestæ & clarè determinata a-licubi. Et paulò post: Panormitanus verd lo-quitur in obscuris. Deinde contraria argumen-ta sic solvit: Nec obstat, quod in dubiis tutior pars est eligenda, quia non est in dubio, quæ proba-bilibus rationibus spectatur ad unam partem. Nec quod incertum dimitrendum est, & certum tenen-dum: quia tenet iste certum sibi moraliter, cum in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus. Quæ paulò distinetur explicat verbo scrup-ulis, cum ait: Obicit primò, quia in dubiis via tutior est eligenda. Sed dico secundum Doctores hoc esse consilium, non præceptum. Et paulò post secundo obicit quia amans periculum, scilicet incedendo per viam laxiorem incidit in illud. Sed dico quod hoc intelligitur de eo qui existens in dubio ita quod non pendet ad unam partem ma-gis quam ad aliam, operatur: secus de eo, qui probabiliter credit secundum iudicium ratio-

nis sic esse faciendum. Quamobrem verbo confessio 2. num. 3. ait: Qui opinatur proba-bili ratione de aliquo quod non sit mortale, non tenetur illud confiteri.

Idem docet Angelus de Clavasio in Summa, verbo opinio. Nam post allatam, expli-^{de Clava-}catamque Panormitani sententiā, sub-sio. dit: Nec obstat predictis illud cap. Invenis de sponsi subditur, quod in dubiis tutior pars est e-ligenda: & Eccles. 3. qui amat periculum peri-bit in eo; ergo videtur se exponere periculo, qui in diversitate opinionum non eligit tutiorem. Quia hoc verum esset, quando proprie dubium est: sed quando est opinio, secus est, quia nunc tunc su-mus in dubio, nec consequenter se quis exponit pe-riculo: quod bene notandum est.

Joannes Viguierius, qui à Posssefino ^{Joannes} Theologus eximus, ab Antonio Senensi erudi-^{Viguierius} tionis præclara fuisse dicitur, cap. 15. §. v. 2. ait: In dubiis sequens opinionem probabilem ali-cujus Magistri, cum Magister est Doctor & ap-probatus, ut D. Thomas, qui absque ratione & auctoritate non consuevit loqui, est excusatus à peccato. Quod est valde notandum ad sedandos scrupulos timoratarum conscientiarum.

Veteres Thomistæ, quorum testimonia hactenus recitavi, priorem sententiā a-pertissime omnes defendunt; posteriori nō mediocriter plerique favent recentiores, quibus modò dandus est locus, tam admi-rabili consensu utriusque opinionis patro-cinium susceperunt, ut ex his qui post Bar-tholomæum Medinam, id est, ab annis ferè centum, de hac controversia scripserunt, nullum planè viderim, vel ab auctoribus hoc tractatu toto citatis appellatū legerim, qui vel in speciem contrarium docuerit. Ordior à Bartholomæo Medina, quem An-Bartholo-mæus Medina. thoniensis Senensis in Biblioth. appellat Theo-logum eximium & consummatissimum, testatur, que morum probitate, & religionis præstantia non minori, quam doctrina, præditum fuisse. In Commentariis ad 1. 2. multò ante in lucem editis, quam ullus Theologus Societatis Jesu controversiam istam attigisset, q. 19. a. 6. concl. 3. ita quaestionis itatum pro-pone: Ex hoc nascitur magna questio, utrum teneamur sequi opinionem probabiliorē, reli-ctā probabiliam, si sit sequi opinionem proba-bilem. Postquam autem contrariam Caieta-ni opinionem cum præcipuis eius funda-mentis protulit, sic ipse pronuntiat: Mihi videtur, quod si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit. Quam in rem argumenta quatuor, & triplicem confirmationem adhibet: tum contrariæ sententiæ firmitate sigillatim & accura-tè dissolvit.

Ludovicus Lopes, ejus eximiam pieta-^{Ludovicus} tem, & singularem eruditionem laudat Lopes. Posssevinus in Apparatu, Medinæ sen-tentiā amplectitur, parte 1. Instru. 2. con-scientiæ, cap. 20. conclus. 2. edit. onis Lugdunensis, anni 1587. pag. 610. Hac conclusio elicitur ex Medina, & liquet ex eius ratione aut opinione, quam ibi tueretur, scilicet quod Confessor penitenti probabilem opinionem Doctorum sectanti negare absolutionem non po-^{probilio-}test, licet Confessor ipse contrariā opinionē proba-

biliorem esse censet; quia cum penitens eo quod probabilem opinionem sit amplexus non peccat, nulla subest ratio negandi ei absolutionem.

Franciscus à Victoria.

Quæstionem illam de Confessario similiter solvunt nobiles Thomistæ, Francisci à Victoria discipuli, qui, ut admonet Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, sub ejus nomine Summam de Sacramentis ediderunt, quam ex illius scriptis collegerant. Fuit autem Victoria, ut ait Antonius Senensis in Bibliotheca, vir numquam satis laudatus, & qui in Theologia talis ac tantus extitit, ut illius præclarissimum lumen in Hispania etiam à viris clarissimis meruerit appellari. Sic loquens inducitur in illa Summa de confessione, num. 177. editionis Antvæpiensis, anni 1616. pag. 102. Respondeo quod si Confessor sit ejus proprius Sacerdos, siue non, tenetur penitentem absolvere in tali casu. Probatur aperiè, talis penitens est in gratia, & Confessor habet probabilitatem quod sit in gratia, quia scit esse probabilem eius opinionem; ergo non debet ei negare absolutionem.

Thomas Mercado. Y aun al que oye de penitencia al mercader le podría yo cambiar de gracia dar un buen aviso, que le dara muchas vezes gran libertad, y aun autoridad. Y es que dado tenga una opinion y la defienda, no reñe por ella al penitente, si no quiere ser reglado ni se guilla: si la que sigue es probable, y tiene sus razones y fundamentos. Basta aconsejarle lo que tiene por mas cierto, o mas le agrada. Pero si al penitente le da la gana, y lo aprueban muchos autores aprobados: gran tochedad y arrogancia seria porque ello repueve, no absolvelle si no desiste dello. Audiendo en un contrato por una parte y por otra opiniones buenas entre doctos: cada uno es libre para seguir la que escogiere. Lo mismo en substancia entiendo, quando fuera de confesion se propone al Theologo un negocio. Que si por entrambas partes ay opiniones, y lo uno y lo otro se puede hazer y seguir sin peligro, dado que el aya escogido una del-

las por mas probable, no dene arar con ella al que pregunta, si non dezir de plano si parece, amaldole que haziendo lo contrario, no es peccado, porque ay muchos Doctores que lo tienen por licito.

Amplectitur eandem sententiam Joannes Paulus Nazarius, qui à Michaele Plodio, & Alphonso Fernande Theologo gregius, ab aliis verò Dominicanis, qui Commentarios ejus in primam Partem recensuerunt, præstantissimus vir, doctrinaque Thomistica propugnator acerrimus appellatur. Sic habet in Opusculis Theologicis, opusculi 2. de statu & obligat. Religiosi de voto obedientie, dubit. 4. concl. 2. Qui dubitat, nullum habet assensum, quo dirigi possit in agendo: qui autem opinatur, rationes habet pro utraque parte, ex quibus elicit assensum probabilem, à quo dirigi potest in operando: & ideo potest absque peccato, in quam voluerit partem, siue illa sit magis probabilis, siue minus, declinare.

Dominicus Bannes Ordinis Prædicatorum Doctor & Theologus illustris (ut ait Aubertus Miraus in Biblioth.) ita loquitur in 1. 2. q. 10. a. 1. dub. 3. concl. 4. edit. Duacensis, anni 1615. pag. 252. col. 2. Dicimus opiniones esse in duplici differentia. Quadam enim versantur circa actionem aliquam exercendam, ut an aliquis contractus sit licitus, vel illicitus. Quadam verò versantur circa res, an scilicet aliquid ita sit, vel non sit; an hac domus sit propria, vel aliena. Dicimus ergo quod de opinionibus primi generis verum est, posse hominem sequi probabilem opinionem, relicta probabiliori. Ceterum de opinionibus secundi generis non est universaliter verum quod possit homo sequi opinionem minus probabilem, maxime quando potest sequi aliquod periculum contra honorem Dei, aut utilitatem proximi.

Bannes consentit Didacus Nugnus Cabezudo, ut ætate sic & doctrina illi suppar. Querit enim in Additione ad 3. Part. quæst. 8. art. 5. dub. 3. editionis Veneræ, anni 1622. pag. 279. Vtrum liceat ministrare sacramentum penitentiae cum jurisdictione tantum probabilis, cumque in negativam partem inclinet, sic contra opponit: Tota difficultas est de opinione probabilis, quia in moralibus licitum est sequi opinionem probabilem, ut communiter dicitur. Tum ita respondet: Ab illa regula generali postea in argumento, est quadam famosa exceptio, quod scilicet in his quæ pertinent ad necessitatem & existentiam sacramentorum, non licet sequi opinionem probabilem, quando est possibile sequi sententiam certam.

Gregorius Martinez ingenii acuminis & Gregorius perspicuitate cum maximis comparandas, ut mox. Monet Alphonsus Fernandes in Notitia Scriptorum Prædicatorum Familiae, de hac questione diligenter & accuratè disputat, tom. 1. in 1. 2. ad q. 19. art. 6. Sic enim habet pag. 1066. col. 2. editionis Toletanæ, anni 1622. Prima conclusio: Non solum est licitum ex duabus opinionibus equaliter probabilibus probabilitate practica eligere quam quis maluerit, sed etiam est licitum sequi minus probabilem, relicta probabiliori. Et paulo post: secunda pars conclusionis.

De Opinione probabili.

II

nisi contra Cajetanum & Sylvestrum. Est tam communis, quam tenet Medina hic, & optimis rationibus probat: & modo probatur primo, &c. Tum argumenta ad eam confirmandam congerit.

Ad stipulatur eidem sententia Petrus Lefima Eruditissimus Magister, & publica annorum quadraginta Theologiae professione nobilis, ut testatur Alphonsus Fernandes in Notitia Scriptorum Praedicatoriae Familiae: licentiam habet in Summa Hispanice edita, Salanticae 608. parte 2. tractat. 8. capite vigesimo secundo, ante duodecimam conclusionem. Huic difficultati respondetur, esse probabilem, cum divini perinde naturalisque sit iuris, licet iudici sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. Hanc sententiam tenet Magister Medina, & Orellana, & multi alii Doctores, ac praecipue discipuli Sancti Thomae, in 2. 2. exponendo articulum 4. huius quaestionis 67. Ad id persuasum habuit hic Auctor, licitum esse probabilem opinionem sequi, relicta probabiliori, ut ad ipsos quoque iudices, contra quam appellati superius Societatis Jesu Theologi faciunt, illud extenderit.

Joannes Hacquetus, cuius Controversiarum Theologicarum in 1. 2. prodit Romae ann. 1654. typis Jacobi Phaei, Christianissimo Francorum Regi Ludovico Adeodato nuncupatum, & R. P. Joannis Baptistae de Marinis totius Ordinis Generalis Ministri facultate munitum. Quaestionem hanc exquisitè disceptat tractatu de conscientia, controversia 14. cuius haec inscriptio: Vtrum liceat sequi opinionem minus probabilem, etiam relicta probabiliori & magis tuta. Sicut autem controversiam decidit: Dico licitum esse sequi in praxi opinionem minus probabilem & minus tutam, siue propriam, siue alienam, dummodo sit simpliciter probabilis. Et paulò post: Eam sententiam docent Medina, Bannes, Valentia, Salas, Arragon, & communis Doctores. Tum accuratè eam probat, & contrariis argumentis respondet.

Vincencius Candidus sacri Palatii Magister, tomo 1. Disquisitionum moral. disp. 3. de absoluteione, art. 20. ita pronuntiat: Dico primo, Confessarius quicumque absolvere potest penitentem sequentem opinionem probabilem, relicta sua opinione probabiliori. Tum num. 3. proponit hoc dandum: Vtrum liceat in qualibet materia consulere opinionem probabilem relicta probabiliori. Ad quod ita respondet: Quicumque alius consultus extra confessionem, licet potest probabilem opinionem in omni materia amplecti, ac etiam alius consulere, relicta probabiliori. Quod breviter & ratione, & auctoritate probat.

Paulus de Blanchis, in libro Veneris edito ann. 1630. cui titulus est: Disceptationes de difficilioribus materiis casuum. Sic enim loquitur pag. 182.

Si opinio penitentis est probabilis apud doctos & prudentes in tali materia, tunc Sacerdos siue ordinarius, siue delegatus, debet eum absolvere, licet probabilior sit opposita sententia.

Postremus, quod sciam, ex Dominicanis, qui Theologicos in D. Thomam Commentarios edidit, fuit Joannes Baptista Hacquetus, cuius Controversiarum Theologicarum in 1. 2. prodit Romae ann. 1654. typis Jacobi Phaei, Christianissimo Francorum Regi Ludovico Adeodato nuncupatum, & R. P. Joannis Baptistae de Marinis totius Ordinis Generalis Ministri facultate munitum. Quaestionem hanc exquisitè disceptat tractatu de conscientia, controversia 14. cuius haec inscriptio: Vtrum liceat sequi opinionem minus probabilem, etiam relicta probabiliori & magis tuta. Sicut autem controversiam decidit: Dico licitum esse sequi in praxi opinionem minus probabilem & minus tutam, siue propriam, siue alienam, dummodo sit simpliciter probabilis. Et paulò post: Eam sententiam docent Medina, Bannes, Valentia, Salas, Arragon, & communis Doctores. Tum accuratè eam probat, & contrariis argumentis respondet.

Joannes Hacquetus.

CAPVT VI.

Pari consensu doctissimi ex aliis Religiosis Ordinibus Theologi, easdem opiniones tuentur.

Vix ullus pro secunda sententia Societ. Jesu Theologus scripserat, cum clarissimi duo ex S. Augustini Familia Doctores eam, ut probabilior, & apud Theologos, maximè ex discipulis Sancti Thomae, communem acriter propugnant. Michael Salonijs, vir doctrina & vita sanctitate celebris, ut ait Auberius Miraeus in Bibliotheca, anno 1592. Venetis edidit insigne volumen, de Iustitia & iure, quod Antonius Possevinus asserit à Theologis, qui sapiunt, magnoperè nec immeritò commendari. Quo in opere de industria quaestionem hanc agit at controversia 2. conclus. 4. ad art. 4. quaest. 63. S. Thomae, docet quae, quando sunt duae opiniones probabiles ex parte iuris, altera tamen probabilior, posse quemvis fidelem in suis privatis actionibus, dimissa probabiliori, eligere probabilem. Quod pluribus argumentis ostendit: ac tandem sub finem admonet, multos ac gravissimos Doctores ita sentire, ac maximè ex discipulis D. Thomae. Undè sic argumentatur ad hominem ex adversariorum sententia: Eligenda est opinio, ut volunt, probabilior: sed quod liceat amplecti probabilem (dimissa probabiliori) est opinio probabilior, cum habeat plures ac gravissimos Auctores, & firmiora fundamenta quam opposita, ut ex progressu huius disputationis constat, ergò &c.

Augustiniani. Michael Salonijs.

Eodem ferè tempore Petrus Arragonius, alterum Augustinianum in Hispania Ordinis fidus, edidit commentaria in 2. 2. praclara & eruditissima, ut vocat Elsius in Bibliotheca

Petrus Arragonius.